



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXVI. Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Iacobo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

quàm fideliter datum esse videamus, nimis profectò pertina-  
ces erimus, si aduersus tam claram veritatis lucem oculos  
clausurimus.

CAPVT XXVI.

*Diluitur argumentum ex comparatione Petri  
cum Iacobo.*

**A**RGVMENTA, quæ aduersus primatum Petri fie-  
ri solent, maxima ex parte soluta sunt in explica-  
tione duorum locorum Scripturæ, Matth. 16. &  
Ioannis vlt. vbi de petra, de clauibus, & de ouibus  
differimus. Tria tamen supersunt. Vnum ex comparatione  
Petri cum Iacobo: alterum ex collatione eiusdem cum Pau-  
lo: postremò ex horrendis scædisque lapsibus Petri, quos diui-  
no consilio Spiritus sanctus literis mandari voluit, ne nimis  
multum Petro Apostolo tribueremus.

Ac PRIMVM quidem argumentum LVTHERI est, in lib.  
de potestate Papæ, vbi Iacobum maiorem Petro fuisse, his ra-  
tionibus probat. PRIMVM, Christus fuit Episcopus Hiero-  
solymæ, non Romæ, & Apostoli eius Presbyteri fuerunt: Igi-  
tur Iacobus, qui post Christi passionem Episcopatum Hiero-  
solymæ sortitus est, Christo succedit, vel certè Vicarius eius  
est, non Petrus. DEINDE, Hierusalem est mater omnium Ec-  
clesiarum; nam de Sion exiit lex, & Verbum Domini de Hie-  
rusalem, Isaia 2. Igitur Iacobus omnium Ecclesiarum pater  
est, non Petrus. PRAETEREA, Nicænum Concilium, can. 7.  
Episcopo Hierosolymæ primatum tribuit: idque ex antiqua  
consuetudine & traditione confirmat.

Possumus addere duo grauiissima testimonia. Vnum CLE-  
MENTIS, qui lib. 6. dispositionum, apud Eusebium lib. 2. hist.  
cap. 1. sic ait: *Petrus, Iacobus, & Ioannes post assumptionem  
Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prelati, ta-  
men non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui  
dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.* Huc re-  
spexit LVTHERVS libro de potestate Papæ, cum ait, Petrum,  
Iacobum, & Ioannem, primatus suos reiecisse, & in Iacobum  
minorem eos contulisse.

Alterum est CHRYSOSTOMI, qui hom. 3. in Acta: *Vide, in-  
quit, Iacobi modestiam. Is accepit Hierosolymis Episcopi mu-  
nu,*

*Lutherus Iacobum pe-  
tro maiore fuisse*

“  
“  
“  
“  
“  
“  
“  
“  
“  
“  
“  
“



nus, & tamen hic nihil loquitur. Considera autem & aliorum discipulorum singularem modestiam, quo pacto conceduntur solum, nec amplius ambigunt disceptantes inter se.

Respondeo ad PRIMVM argumentum, Christum non fuisse Episcopum ullius particularis vrbis; sed fuisse & esse Pontificem non solum Hierosolymæ, sed totius Ecclesiæ: neque illi succedere, cum semper uiuat. Porro Vicarium suum generalem magis decuisse, ut alibi, quam Hierosolymis constitueret: quoniam sicut mutabatur per Christi aduentum & sacerdotium; ita etiam decuit, ut locus mutaretur summi Sacerdotis, & fierent verè omnia noua. Atque ita fortasse templum & Hierusalem breui euersa & incensa post ascensionem Domini fuerunt.

Ad ALTERAM rationem dico; Hierosolymorum Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum antiquitate, & multis priuilegiis insignem, ob Domini & Apostolorum præsentiam, quam longo tempore habuit, & præcipuè ob mysterium redemptionis nostræ eo loco perfecta & consummata; sed nihil hoc tamè præiudicare Petri primatui. Nam quemadmodum Ecclesiæ Hierosolymorum Iacobus fuit Pastor & Episcopus, ita Petrus fuit Pastor & Episcopus totius Ecclesiæ, proinde etiam Hierosolymæ, quæ vniuersalis Ecclesiæ potestatem quadam est. Ita soluunt hoc argumentum Chrysostomus & Euthymius in comment. vlt. cap. Ioan. quibus accedit BERNARDVS lib. 2. de consider. vbi ait: *Iacobus & non Hierosolymorum contentus, & vniuersitatem Petro cedit.*

Ad TERTIAM rationem respondeo; Lutherum non bene legisse Nicænum Concilium. Nam ut supra demonstrauimus, in Nicæno Concilio datur Episcopo Hierosolymæ quædam seditio inter Patriarchas, quantum ad honorariam quædam sessionem: nullus autem locus quantum ad veram iurisdictionem. Subiicitur enim, ut simplex Episcopus, Episcopus Cæsariensi, totius Palæstinæ Metropolitanus.

Ad testimonium EUSEBII respondeo, locum Eusebij sine dubio esse corruptum. Nam etsi in Basileensi codice, versione Ruffini, habeantur verba, quæ supra citauimus, tamen in codice Coloniensi, ab homine Catholico verso & edito, non habetur nomen primatus, & pro illis verbis: *Apostolorum Episcopum*, habetur, *Hierosolymorum Episcopum.*

Quæ



Quæ lectio cohæret inprimis cum Nicephoro, ita hunc locum allegante, lib. 2. cap. 3. necnon cum eiusdem Eusebij sententia, qui in eodem lib. 2. cap. 14. hist. dicit, Petrum fuisse Apostolorum maximum, & primorum principem. Cohæret deinde cum Græco codice, tam Vaticanæ Bibliothecæ, quam etiam Parisiensi nuper edito. Sic enim habetur in utroque: Πέτρον γὰρ φησι καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην μετὰ τῶν ἀνάληψιν τῶ σωτῆρος ὡς ἀν καὶ ὑπὸ τῶ κρείεσ προτεπημημένεσ, μὴ ὀπιδιχάζεσθαι δόξεσ, ἀλλὰ Ἰάκωβον τὸν δίχουον ἐπίσκοπον Ἰεροσολύμων ἐλέσθαι.

Clemens ergo Alexandrinus apud Eusebium non ait, Petrum, Iacobum, & Ioannem detulisse primatum Ecclesie uniuersæ Iacobo minori, & eum Episcopum Apostolorum constituisse, quod absurdissimum est; sed tantum ait, eos Apostolos præcipuos non quæsiuisse gloriam propriam, & ideo non sibi assumpsisse Episcopatum omnium eo tempore nobilissimum, sed eum Iacobo minori detulisse. Et si enim Episcopatus unius urbis non derogat primatui; tamen non parua gloria erat, fieri Episcopum Hierosolymæ eo tempore, quo nullus erat ex particularibus Episcopatibus illo nobilior.

Ad locum CHRYSOSTOMI dico, loqui Chrysostomum de folio particularis Episcopatus, cum ait: *Apostolos concessisse Iacobo solium.* Nam quod absolutè Chrysostomus Petrum Iacobo anteposuerit, ex plurimis eius locis manifestum est. Nam Ioan. homil. vlt. in illud; Sequere me. *Quibus uerbis, inquit, iterum curam, & familiarem in eum affectum ostendit. Quod si quis percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit? Responderem; hunc Petrum totius orbis Magistrum constituisse.*

Idem Chrysostomus homil. 3. in Acta, post ea verba, quæ nobis obiiciuntur, subiungit de Petro: *Merito, inquit, primus omnium auctoritatem & surpat in negotio, & qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

